



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. miracula Christi doctrinam ita confirmarent, vt ad credendum
cogerent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

*nō fecisset nisi
Iudaei in non
credendo pec-
cassent.
Obisatio.
Responsio.*

1. Cor. 15.

4. expositio.

*Cyrril.
Testimonij
Ioann. 10.
expositio.*

pugnarent, & ideo dicere potuit, *Si opera non fecissem, A*
peccatum non haberent. Dices ergo antequam Christus
efficeret omnia miracula, quae de Christo praedicta
erant, non tenebantur in eum credere. Respon-
detur, negando consequentiam. Sicut etiam, si Chri-
stus non resurrexisset, non peccaremus in illum non
credendo. Nam si Christus non resurrexit, *inanis est*
praedicatio nostra, inanis est & fides vestra, inuenimur au-
tem & falsi testes Dei. 1. ad Cor. 15. & tamen non inde
fit, antequam Christus resurgeret Iudaeos non fuisse
obligatos ad credendum ei. Nam talis praecesserat
praedicatio, quae sufficiens erat ad credendum, illum
esse Messiam promissum, & ad sperandum fore, ut
implerentur, quae deierant. Vnde utrumque verum est
scilicet non fuisse expectanda omnia dicta miracula
ad credendum, & quod (si facta non fuissent) non
peccarent, non credendo. Quia si Christus non fuisset
facturus ea miracula, quae de Messia erant praedi-
cta, neque etiam posset ita proponere se esse Messiam,
ut alios ad credendum obligaret, & in sensu compo-
sito impossibile fuit sic praedicare, & non facere pre-
dicta miracula. Praeter hos modos occurrit alius, ni-
mirum, ut illis verbis, *Si opera non fecissem in eis, non*
tantum miracula, sed tota Christi vita, & praedicatio
contineantur, atque hoc modo nulla est difficultas.
Quia sensus non est, si miracula non fecissem, sed ab-
solute, nisi dictis & factis meam fidem satis confir-
massem, *peccatum non haberent*, ex quo non sequitur
quod si sola miracula deessent, etiam excusarentur.
Et hic sensus videtur certe simplicior eumque indica-
uit Cyrrill lib. 10. in Ioannem, c. 30.

Denique circa aliud testimonium ex Ioanne 10. *Si*
non facio opera Patris mei, nolite mihi credere, addi potest
alius, qui mihi videtur germanus, scilicet si opera,
quae facio, non sunt a Patre meo, id est, si non sunt
virtute diuina facta, sed Daemonis praestigij, non est
quod mihi credatis: si autem ipsa opera sese manife-
stant, quod sint diuina, vel illis saltem credite. Ex
quo sensu nulla difficultas relinquitur praesenti
quaestioni. Quia licet Christo non essent miracula
simpliciter necessaria, ut dignis fide haberetur: ta-
men postquam mira opera fecisset, si non satis con-
struxerit illa esse vera, & non ficta, non posset illi fides ad-
hiberi, & hoc modo veritas miraculorum necessaria
erat ad Christi doctrinam confirmandam. Quae et-
iam non est necessitas simpliciter, sed ex suppositione,
scilicet supposito quod miracula fiant,

SECTIO II.

*Utrum miracula Christi doctrinam ita confirmarent
ut ad credendum cogerent.*

Principio certum est, miracula Christi sufficien-
tia fuisse ad doctrinam confirmandam, ita ut qui
illa conspexerant, prudenter credere; & possent, &
tenerentur. Quod euidenter probant verba Christi
paulo ante tractata, & alia multa in superiori sectio-
ne adducta, & quae dicemus, euidentius hoc confir-
mabunt. Quod ergo hic explicatione indiget, il-
lud est, utrum illa miracula euidenter ostenderent,
Christum esse Deum, & atque hoc modo cogerent,
seu necessitatem inferrent intellectui ad assentien-
dum. Ratio difficultatis est, quia illa miracula non
solum ostendebant euidenter, Christi doctrinam
esse credibilem, sed etiam esse veram, euidentia au-
tem veritatis cogit intellectum. Antecedens proba-
tur, quia euidenter est talia opera, scilicet suscitationem
mortui, illuminationem caeci, & sanitates tali modo
factas scilicet per solum imperium, vel per conta-
ctum non posse fieri nisi diuina virtute. Rursus est
euidentia illa opera esse facta à Christo in confirma-
tionem doctrinae suae propterea enim dicebat. *Ipsa*
testimonium perhibent de me, & operibus credite. Denique
etiam est euidenter, Deum non posse mentiri, & ideo

Ioann. 10.

nec etiam posse virtute sua speciali mendacium co-
firmare, ergo ex his principiis euidenter erat Christum
esse Deum & vera dicere. In contrarium vero est,
quia si miracula Christi euidenter intellectum con-
uincerent, omnes necessario illum agnouissent, eiusque
credidissent: atqui non ita accidit: ergo.

Ut controuersiam hanc melius comprehendamus,
reuocanda tota Christi doctrina est ad duo princi-
pia, quae ipse in ea persaepe inculcabat, quoniam ab
illis, & totius doctrinae veritas, & cunctorum ho-
minum salus pendebat. Vnum est esse se verum
Messiam. Alterum est, esse verum Deum. Quiaquam
enim hoc posterius ex priori necessario consequatur
suppositis ijs, quae de Messia in veteri testamento
praedicta erant (ut superiori tom. disput. 2. late tra-
ctatum est) tamen quia intelligentia, & cognitio
scripturarum non omnibus inerat, voluit Christus
utrumque distincte praedicare, & miraculis confir-
mare. Vnde ulterius aduertendum est miracula
Christi dupliciter considerari posse, vno modo ut
coniuncta cum scripturis, & praedictionibus, quae
de Messia erant, alio modo per se, sine coniunctione
cum superioribus prophetijs, non aliter, quam si ille
non praecessisset. Et sub hac posteriori ratione ad-
huc possunt dupliciter considerari, vel ut cadunt in
assertionem Christi, qui affirmabat se esse Messiam,
& Deum, & in eius veritatis confirmationem talia
miracula faciebat, vel per se sola, ut sunt veluti effe-
ctus diuinitatis sub illa humanitate latentis absque
ullo alio principio.

Dico primo, miracula Christi per se sola, & cum
nullo alio principio coniuncta, etiam si euidenter
vera esse cognoscerentur, non erant sufficientia ad
cognoscendum Christum esse Messiam aut Deum.
assertio est per se euidenter, quia poterat Deus illa mi-
racula facere per hominem purum qui non esset Mes-
sias. Nam etiam Christus Dominus de discipulis suis
dixit, *Maiores horum facient*, Ioann. 14. de qua re dixi
etiam priori tomo disput. 3. sect. 2. Quinimo nec
miracula sola per se euidenter ostendunt hominem
esse sanctum, atque adeo nec vera semper dicere. Quia
potest Deus miracula per peccatores facere, gratiae e-
nim gratis datae non sunt euidentia signa sanctita-
tis.

Dico secundo, miracula Christi, ut coniuncta pro-
phetijs, quae de Messia erant absque alia Christi testi-
ficatione suae diuinitatis euidenter ostendebant ip-
sum esse Messiam, & Deum, dummodo, & Prophe-
tiae intelligerentur, & crederentur, & veritas mira-
culorum euidenter cognosceretur. Ratio huius pos-
terioris partis est, quia cognitio conclusionis praesup-
ponit cognitionem praemissarum. Quod autem
ex illis principiis euidenter sequatur haec conclusio,
probat. Quia in veteri testamento satis clare reue-
latum erat Messiam futurum esse verum Deum, ut
dicto loco ostendimus. Deinde praedicta erant eius
miracula tanquam propria signa, quibus certo dig-
nosci posset, ergo qui intuebatur illa opera & eu-
identer cognoscebat esse illa, quae Isa. 35. erant praedi-
cta, euidenti signo cognoscere poterat Christum esse
Messiam, & consequenter esse verum Deum. Et hoc
argumento tacite usus est Christus Matt. 11. cum Io-
anni interroganti per discipulos, an ipse esset Mes-
sias, respondit quidem miracula ipsa quae faciebat
ostendens, alludens sine dubio ad locum Isaiae, in
quo eadem miracula eisdem poenae verbis praedicta
fuerant, ut indicauit Chrysostomus. & ibi hom. 37. & o-
ptime, ac eleganter Laëtantius lib. 4. de vera sapi-
entia cap. 15. & Athanasius lib. de incarnatione Verbi,
eiusque corporali aduentu. Euidentia (inquit) docu-
menta intueantur. Aut enim Scriptura. Tunc aperientur o-
culi cecorum, &c. Quomodo audient vel contra ista oculos as-
tollere, si quidem prophetia Deum aduenturum significet, &
signa eius praesentia tempus ostendant? & deinde notant
quoniam antiqui Prophetiae vnum, vellud mira-
culum

*Miracula
Christi per se
sola non eui-
denter conui-
cent illum
esse Messiam
& Deum.*

*Ex miracu-
lis Christi,
cum Prophe-
tiarum testi-
ficatione con-
iunctis diu-
initas eius
quomodo eu-
identer ag-
nosceatur.*

Isai. 34.

Matt. 11.

*Laëtant.
Athanas.*

culum patrauerint: tam multa vero miracula edere, proprium signum fuisse Melsiæ. Quod etiam obseruauit Ambrosius lib. 5. in Luc. c. de missione discipulorum Ioannis ad Iesum. Alia parum testimonia videri possunt in priori tom. disp. 2. sect. 3.

Ambros.

Obiectio.

Responso.

Dicit aliquis hanc euidenciam solum esse consequentiam, non consequentis: quia non solum fundatur in euidencia miraculorum, sed in testimonijs etiam veteris testamenti, quæ non erant euidenter vera, sed fide credita. Respondetur quando testimonia continent prædictionem rerum futurarum, si res prædictæ iam videantur impleri, euidenter tunc constare illa fuisse vera. Quamuis ergo prophetiæ, in quibus hæc miracula, & signa Melsiæ prædicta erant, antequam implerentur, sola fide crederentur: visis tamen effectibus, & euidenter agnitis, conuincitur intellectus ut credat illam prædictionem fuisse veram. Et in præsentia materia etiam conuincitur, illam prædictionem esse à Deo: tum quia erat de re contingenti, & libera: tum etiam, quia erat de effectibus supernaturalibus, quia à Dei voluntate, & singulari influxu pendebant. Vnum vero est, quod in tota hac cognitione videtur potius creditum, quàm euidentis, scilicet an hæc prophetiæ dictæ sint de Melsiæ, & in quo sensu: & quoad hoc fatemur non esse hic maiorem euidenciam, quam esse possit in interpretatione cuiusvis locutionis in propria, & simplici verborum significatione. Omnis enim euidencia, quæ est in testificante, necessario supponit verba, vel signa quibus ille loquitur, & eorum nudam, atque apertam intelligentiam. Hic vero supponimus prædictas prophetias de Melsiæ, & eius diuinitate, tam esse perspicuas, & claras, ut à nemine, qui non sit admodum pertinax, negari possint, maxime post earum euentum, ut prædictis disputationibus, prima & secunda superioris tom. fuisse differuimus. Denique ad rem præsentem satis nobis est euidencia consequentia. Quia solum hoc intendimus, ex illis Prophetijs sic intellectis, & euidencia miraculorum, necessario ac euidenter inferri Christum esse Melsiam, ac verum Deum.

Dico tertio, Miracula Christi euidenter cognita, & coniuncta testimonio ipsius Christi, qui asserbat se esse Melsiam, & verum Deum, & in eius confirmationem talia miracula faciebat, conuincere poterat Christum esse verum Deum euidencia morali in testificante. Hæc est sententia D. Th. hic, ut eum exponit Caiet. hic & infra q. 47. arti. 5. & in eandem inclinat D. Th. 3. dist. 16. q. 1. arti. 3. & 1. contr. gen. c. 6. Scot. in prolog. sent. q. 4. & eandem supponere videtur Athanas. dicto lib. de Incarn. & Orig. lib. 3. cont. Celsum eamque probat prima ratio dubitandi in principio posita. Fundatur enim hæc euidencia in hac rationatione. Quidquid Deus sua autoritate confirmat est verum, sed id quod Christus affirmabat, Deus sua autoritate confirmabat, ergo erat verum, atqui affirmabat se esse Melsiam, & Deum, ergo vere ita erat. Omnes præmissæ sunt euidenter. Maior primi syllogismi, primi euidentis est, Deum non posse mentiri, ut nunc suppono. Minor, quia euidentis est, vera miracula non posse fieri nisi virtute diuina: suppono autem euidenter cognosci illa miracula esse vera, & in confirmationem eorum, quæ à Christo dicebantur facta. Denique quod Christus hæc doceret euidentis erat audientibus.

D. Thom. Caietan.

Sent.

Athanas. Orig.

Obiectio.

Subterfugere posset aliquis, dicendo minime repugnare ut Deus speciali auxilio, & gratia gratis data concurrat cum homine ad facienda miracula, quamuis ipse homo illa faciat in confirmationem falsitatis. Quia hinc non sequitur, quod Deus mentiatur, & nullum aliud est principium huius repugnantia: aut incommodum, quod inde sequatur. Antecedens declaratur. Nam primo, Deus dat sacerdoti supernaturalem facultatem consecrandi, & eam ipsius liberati committit, ut bene, vel male,

Fr. Suarez, tom. 2.

ea vtatur: & quando male vtitur, Deus nihilominus speciali, ac supernaturali auxilio cum illo concurrat, ad faciendum opus vi sua miraculosum & nihilominus malitia hominis in Deum non redundat: ergo idem erit in præsentia proportionem seruata. Secundo, Deus potest conferre homini gratiam sanitatum, ut similiter ea bene, vel male vtatur: ergo sicut potest Deus concurrere cum tali homine ad conferendam miraculose sanitatem, etiam si id faciat propter auaritiam, vel vanam gloriam, potest etiam concurrere, etiam si id faciat ad decipiendos alios homines, atque adeo in confirmationem falsitatis. Tertio est ratio à priori, quia licet homo, qui facit miracula, dicat se id facere in confirmationem eorum, quæ loquitur, non inde fit Deum concurrere ad eandem confirmationem. Sed concurrat solum ex vi prioris donationis, seu legis, vel pacti, quo statuit dare illi homini talem virtutem, & concurrere cum illo, propter quemcumque finem ipse operetur, ergo etiam si Deus concurrat, non sequitur ipsum mentiri, nec confirmare mendacium: sed solum permittere, ut alii putent, confirmare. Denique nunquam est euidentis miracula, prout à Deo procedunt, fieri in confirmationem veritatis: sed solum, prout sunt ab homine. Quarto, amplius hoc exemplo illustratur difficultas. Pingamus Deum decreuisse crastina die miraculum aliquod facere propter finem sibi cognitum, & alicui homini hoc reuelasse. In eo casu posset huiusmodi homo errorem aliquem prædicare, ac dicere in eius confirmationem facturum Deum tali die tale miraculum, nunquid propterea teneretur Deus cessare à perpetrando miraculo, ne mendacium confirmaretur? aut propterea confirmaret, quia homo dicit propter hanc causam fieri, cum reuera Deus hoc non intendat, nec propter hanc causam faciat? Sicut ergo in hoc casu non obstante mendacio hominis, posset Deus miraculum facere, & non propterea mentiretur, licet homines deciperentur, nec confirmaret mendacium, quamuis homines id existimarent: ita quamuis propter alias causas daret alicui homini potestatem faciendi miracula, cum pleno dominio vtendi illa in quemcumque vsum bonum, vel malum, non propterea mentiretur concurrendo cum tali homine, nec reuera mendacium suæ autoritate confirmaret, quidquid homines sibi persuaderent.

Hæc argumenta (ut verum fatear) sunt apud me

Responso.

difficilia, & vellem potius eorum solutiones ab aliis discere, quam docere. Vnde Durand. q. 1. prologi illa breuiter attingens, propter ea negat miracula facta in testimonium veritatis efficere euidenciam eius. Cuius sententia fortasse est vera de euidencia Mathematica, non tamen de euidencia morali, quæ sufficiat ad conuincendum intellectum non admodum prae dispositum. Quod ita declaro, supponendo id, quod in materia de fide latius docetur, pertinere ad diuinam prouidentiam, ut non permittat aliquid falsum suo sub nomine & autoritate ita proponi, atque exterius confirmari, ut secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum illud esse dictum à Deo & assentiendum ea certitudine, quæ omnem dubitationem expellat. Quia si Deus hoc permitteret, & cooperetur ad omnia signa, & opera, quibus mendacium confirmatur, quamuis reuera proprie non mentiretur (ut argumenta facta probant) quomodo tamen abuteretur suprema sua potestate in præiudicium suæ autoritatis, qua fide dignus existit. Nam si concurrentibus tot signis, & diuinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis adhuc posset subesse falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines, vel per signa quod est contra diuinam veritatem & autoritatem, quam ipsum oportet habere in dicendo. Propter hæc ergo causam existimo esse moraliter euidentis, fieri non posse, ut Deus concurrat cum homine ad perficiendum

Durand.

Deus mendacium confirmare non potest per opera supernaturalia in confirmationem falsa doctrinae facta.

Cc 2

da vere

da vera opera supernaturalia, quæ fieri non possunt nisi virtute diuina, & quod illa faciat in confirmationem falsæ doctrinæ, quam vt diuinam, & à Deo reuelatam proponit.

Obiectio.

Dices, ergo eadem ratione pertinet ad Dei prouidentiam non permittere apparentia miracula, quæ virtute demonum fieri solent, & ab Antichristo fient. Quia illa etiam moraliter sufficiunt ad decipiendos homines, qui vix possunt vera miracula à falsis internoscere; illa autem deceptio, cum fiat sub specie diuinæ virtutis & authoritatis, etiam redundat in præiudicium eiusdem diuinæ authoritatis, & merito potest diminueri fidem, quæ Deo loquenti debetur. Respondetur non esse eandem rationem,

Responsio.

quia quando sunt falsa miracula, semper relinquuntur aliquis modus, quo moraliter possint diiudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo bene considerando ipsamet opera, signaque & circumstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam, & mores eius qui sic loquitur, & operatur. Tertio, considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi aduersetur, vel alijs reuelationibus diuinis sufficienter propositis per Ecclesiam. Denique orando Deum, & consulendo scripturas, & predicationes in ea factas, & signa data, ne in errorem inducamur. Itaque non pertinet ad prouidentiam Dei non permittere falsa signa, quæ ad probationem, & profectum electorum profunt: sed pertinet ad prouidentiam Dei dare auxilium, ac modum quo possint diiudicari, & cognosci, quia non est diuinæ bonitatis, & sapientia, vt permittat hominē tentari ultra id quod potest. Ac propterea quando facta morali diligentia, & inuestigatione adhuc constat euidenter vera esse miracula, quæ sunt in confirmationem doctrinæ, nulla relinquatur ratio dubitandi de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequentia & magna authoritate, ac potestate facta, & vitæ innocentia, ac sanctitate confirmata, & in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias diuinas reuelationes appareat. Quæ omnia in doctrina, & miraculis Christi cumulatissime inuenta sunt, & ideo ad moralem euidentiam præstadam satis fuisse creduntur. Ex his ergo ad difficultates positas dicendum est, quamuis demus posse Deum permittere aliquem efficere miraculum, seu opus super naturale, affirmantem se id facere in confirmationem alicuius rei, quæ in se falsa est, quam tamen De neque affirmare neque confirmare intendit: nihilominus semper posse hominem, si velit, omnia, quæ tale opus circumstant, attente considerare, ex eis cōijcere, quo spiritu tale opus fiat, ita vt saltem dubitare possit, & ad Deum recurrere, & quantum in se est facere ad falsitatem vitandam, quod si ita se gerat, ad diuinam prouidentiam spectabit non permittere eum decipi. Addo denique quādo Deus dat potestatem ad supernaturale opus faciendum considerandum esse modum & finem eius. Quando enim datur modo stabili, ac permanenti non ad confirmandam veritatem, sed ad aliquam publicam vtilitatem, vt interdum datur gratia sanitatis, vel alia similis: tunc licet quis diceret se illa vti in confirmationem veritatis, non ideo statim esset illi fides adhibenda, sed vtrū potius esset alijs regulis fidei certis, & infallibilibus. Si vero potestas hæc, & vsus eius datur singulari, & extraordinario modo, ita vt non appareat alius finis vel vtilitatis eius, præter veritatis confirmationem: tunc certe maxime spectat ad diuinam prouidentiam non concurrere specialiter ad tale opus: quando homo per illud intendit falsitatem persuadere, ac alios decipere propter rationes dictas.

SECTIO III.

Vtrum miracula Christi coegerint Angelos ad credendum Christo predicanti, se esse Messiam, ac Deum.

Questio hæc in malis Angelis tantum locum habes quia beati semper Christum clare cognouerunt, ac in verbo viderunt: habere tamen posset locum in quolibet Angelo, secundum suam naturam solum considerato. Et specialis ratio dubitandi in illis est, quia ipsi euidentissime cognoscunt veritatem miraculorum, quia vident rerum substantias, & actiones prout in se sunt. Vnde, si miraculum sit supernaturale quoad terminum, vt quod duo corpora sint penetratiue in eodem loco, postquam factum est, euidenter illud vident. Idemque est, si miraculum sit in modo, ex parte subiecti, vt quando cæcus illuminatur, vel mortuus resurgit, vel ex parte actionis, seu agentis, vt quando subito, & sine applicatione naturalis agentis fit effectus sanitatis, vel alius similis. Rursus euidenter etiam sciunt hæc miracula non posse fieri nisi virtute diuina, quia euidenter cognoscunt naturas rerum, & sciunt in tota natura non esse virtutem quæ ad hoc se extendat, sed solum in authore nature ergo visus huiusmodi miraculis conuincuntur ad credendum Deum esse testem eius doctrinæ, quæ per talia miracula confirmatur: ergo ad credendam ipsam doctrinam. Sed demones hoc modo videbant miracula Christi, videbant etiam ea facere in confirmationem doctrinæ suæ: Audiebant enim eum dicentē. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, adolescens, tibi dico surge, Matth. 9. & Ioan. 11. Vt credant, quia tu me misisti, & Ioan. 5. & 10. sæpe in sua prædicatione hoc Christus significabat. Et quod maxime vrget, non solum Christi, sed etiam ipsius Dei testimonium bis audierunt. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audire, & euidenter cognoscebant illud non fuisse pronuntiatum opera alicuius demonis, sed Dei, vel per seipsum, vel (quod perinde est) per sanctos Angelos, ac ministros suos: ergo conuicti fuerunt ad credendum, eo modo quo Iacobus ait, *Demoni credunt, & contremiscunt. In contrarium vero est illud Pauli. 1. Cor. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.**

In hac difficultate idem est querere, an demones de facto cognouerint, Christum esse verum Messiam ac Deum, & ad hoc credendum fuerint conuicti & necessitate compulsi. Quia ipsi vel non habent assensum opinatiuum, & cum formidine, vel (si illum habent) non habent viam voluntatis affectionem, quæ propensi sint ad supernaturalem veritatem credendam, quando nullo modo coguntur, & conuincuntur. Et ideo explicando, quid factum sit, simul explicabimus modum, seu necessitatem talis assensus.

Dico ergo primo, si demones speciali Dei prouidentia impediti non fuerunt, ne Christum cognoscerent, conuicti sunt ad credendum, & assentiendum, illum esse verum Messiam à Deo promissum. Propono conclusionem hanc sub conditione. Quia vt Aug. ait lib. 9. de Ciu. c. 21. *Christus tantum innotuit demonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit.* Hæc igitur conclusio colligitur ex doctrina D. Th. & Sanctorum, vt statim ostendā, eamque docet Caiet. hic. Nunc solū ratione probatur. Quia (vt dixi) demones euidenter cognoscebant veritatem miraculorum Christi, & (quod magis est) à Deo non fuerunt impediti, cognouerunt euidenter fuisse cōceptum sine opera viri, & natum ex virgine, matris integritate seruata, & in eius natiuitate euidenter audire potuerunt Angelos annuntiantes natum esse Saluatorem, qui est Christus Dominus quos euidenter sciebant non posset mirari, cum sciant esse beatos. Rursus euidenter cognoscebant innocentiam, & puritatem vitæ Christi. Ad hæc audiebant ipsum Christum expresse dicentem se esse Messiam promissum Ioann. 4. *Ego sum, qui loquor tecum, & Ioan. 4. Matth. 15. cum Petrus confessus esset. Tu es Christus filius Dei viui: ipse confessionem eius approbavit dicens: Beatus es, & cap. 11. cum Ioannes Bapt. misisset ad querendum, an ipse esset Messias, satis clare affir-*

*D. Thom.
1. 2. q. 9. 105.
nr 8.*

*Matth. 9.
Ioan. 11.
Ioan. 5. & 10.
Matth. 17.*

*Iacob. 2.
1. Cor. 2.*

August.

*D. Thom.
Caietan.
D. Thom. euidenter agnoscebat veritatem miraculorum Christi.*

*Ioan. 4.
Matth. 15.*

Matth. 11.